


Σὺν Θεῷ

EXERCITATIONUM ETHICARUM
DUODECIMA & Ultima.

DE VIRTUTIBUS INTELLECTUALIBUS,

Quam
Benedicente DEO Opt. Maximo
Permissu Amplissimi Collegii Philosophici
Sub Præsidio
M. JOHANNIS Reinbothe
Altenburgô - Misnici.
Placidæ disquisitioni
ad diem Julii horis & loco consuetis
subjicit
Respondens
THEODORUS Möllmann/ Flensb. Hols.

Rostochi, Literis hæredum Richelianorum,
Anno CIƆ IƆC XXXVI.

Cum Deo!

I.

COronidis loco doctrinam de Virtutibus Intellectualibus persequemur, de quibus statim dubitatur, an politicæ sint considerationis. Notum enim est, quod *Timplerus* hoc in loco egerit, qui in id incubuit, ut ostenderet Politicam hanc doctrinam sibi tractandam sumere minimè posse.

2. *Franciscus Piccolomineus gradu 5. c. 4.* quosdam refellit, qui statuerant, Politicam δευτέρως tamen & ex eventu melioris scilicet explicationis gratia Virtutes intellectuales considerare. Ipse enim statuit, quod Politica per se hanc doctrinam tractare non posse.

3. Nostra sententia est, quod quamvis prudentia essentialis sit considerationis Politices, tamen reliquas Virtutes intellectuales ad Politicam non per se, sed per accidens referri. Prius probamus ex eo, quod Virtus Moralis essentialiter importet consilium rectæ rationis: Atqui prudentia est idipsum, quo rectè judicamus, ergo etiam necessario prudentiæ natura explicari debuit.

4. Cum autem oppositorum eadem sit disciplina hinc factum fuit, quod reliquæ etiam species virtutum fuerint adjectæ; præsertim cũ opposita juxta se posita maximè elucescant. Et inde factum fuit, quod Aristoteles virtutibus intellectualibus *lib. 5. Eth.* destinarit.

5. Sunt autem Virtutes Intellectuales habitus animæ rationalis quibus mens nostra vel affirmando, vel negando verum enunciat, οἷς ἀληθεύει ἡ ψυχὴ τῷ καταφάναι καὶ ἀποφάναι ut ait Philosophus *lib. 6. Nicomach. c. 3.*

6. Virtutes vocantur, sed μετὰ προσθήκης *intellectuales.* Virtutis enim definitio *lib. 2. Eth.* exposita his tribui nequit Quod si

tamen quis ex *lib. 1. Rhetor. c. 9.* illam assumere voluerit, ubi Arist: dicit quod ἀρετή ἐστι δύναμις ποριστικὴ ἀγαθῶν καὶ φυλακτικὴ καὶ εὐεργετικὴ πολλῶν καὶ μεγάλων καὶ πάντων περὶ πάντα ille videbit, illam orationem optimè in intellectualem quadrare.

7. *Habitus* autem sunt, utpote hominis industria acquisitæ intellectuales virtutes, non assuefactione seu more ut ostendit Aristoteles *lib. 2. Eth. c. 1.* sed τὸ πλεῖστον ἐκ τῆς διδασκαλίας ἔχουσι καὶ τὴν αὔξησιν καὶ τὴν γένεσιν.

8 Ubi non obstat, quod νοῦς seu habitus principiorum non industriâ sed naturâ videatur acquiri, & unico actu intellectui infigi. Nam licet non tam multum temporis in acquirendo intellectus habitu effluat, ut in reliquis virtutibus intellectualibus contingit; tamen multi actus intercedunt, priusquam terminos cognoscere valeo, ut ita etiam pluralitas actuum haud obscurè intercedat.

9. Dicuntur porro virtutes intellectuales habitus *animæ rationalis seu intellectus.* Hic enim harum est subjectum, cum ab eo suum esse habeant, & accipiant. Nam veri cognitio, quæ fit affirmando vel negando nullibi esse potest, nisi in solo intellectu, unde graviter errat *Piccolomineus grad. 5. c. 6.* phantasiam pro subjecto cognoscens, à quâ judicium veri quam longè abest.

10. Quando ulterius additur, *quibus mens affirmando vel negando* verum enunciat, differentia additur, quâ hæ à moralibus sejunguntur. Moralium enim est, honestum sibi proponere *lib. 1. Magn. Morali.* Intellectualium vero verum respicere, idq; vel συνθεῖναι vel διαιρεῖν ὡς γὰρ ἕκαστον ἔχει τοῦ εἶναι, οὕτω καὶ τῆς ἀληθείας Philosophi vox est *lib. 1. Metaph. c. 1.*

11. Virtutum Intellectualium numero sunt quinque: Scientia scil:, Ars, Prudentia, Sapientia & Intelligentia, *lib. 6. Ethic. cap. 2.*

12. Ubi quæritur, an Aristoteles etiam habitus instrumentales afferre hac in divisione voluerit *Johannes Sanchiez certè quæstione 17 prœemiali Logica conclus. 1.* ridiculum esse autumat, habitum organicum ponere, ad quem etiam accedit *Bartholomæus Keckermannus in præcognitis Logicis,* qui contra Zabarellam disputaturum

rius urget sufficientem habituum lib. 6. Ethicorum enumeratorum divisionem. Cum a. ibi ne jota de habitu instrumentali exstet vanitatem exinde hujus habitus instrumentalis colligit.

13. *Jacobus Zabarella tamen lib. 1. de natura Logicæ c. 10. & 11.* habitus instrumentales sive organicos concedit, illosq; definit, qui ita sunt propter alium habitum & appetuntur, ut nisi utiles essent, ad illius habitus adeptionem, non appeterentur. Et *cap. 11.* statuit, Aristotelem in 6. Ethico: solos voluisse recensere habitus principales, instrumentales vero partim comprehendere, partim non comprehendere voluisse. Non comprehendere primariò, cum non sint principales; comprehendere a secundariò & implicitè quatenus principalium habituum nominatione etiam comprehendantur illi, qui sunt eorũ gratiâ. Declarat rem exemplo: Quemadmodum, inquit, si quis quærenti, quòtendis: Respondeat Romam, intelligit simul urbes intermedias, Bononiam, Florentiam, quæ exprimendæ non sunt, quia non sunt finis & scopus itineris. Quemadmodum item dicimus Imperator Romam est venturus non exprimentes duces milites & reliquos, qui Imperatoris gratiâ veniunt. Pari ratione, pergit ille, Habitus instrumentarius suppressus & non nominatus ab Aristotele fuit, quia nihil in se habet dignitatis.

14. Utraq; tamen sententia veritatem nostro saltem judicio non attingit. Nam qui concedit definitionem, concedere etiam debet definitum. Atqui dantur habitus non tantum qui propter se appetuntur, licet ad nullius alterius habitus assecutionem quicquam conducant, qui à Zabarella dicuntur principales, sed etiam dantur habitus, qui ita propter alium habitum sunt & appetuntur, ut nisi utiles essent, ad illius habitus adeptionem non appetuntur, qui instrumentales dicuntur Zabarellæ. Logia enim ejusmodi habitus est, qui propter superiores facultates & disciplinas est, veritatemq; in illis dubiam assequendam, ut nisi dubiam veritatem posset indagare non expeteretur. Cum enim omnium disciplinarum sit objectum suum cognoscere, & ex noto ad ignotum di-

 scurre-

fcurrere. Logica vero doceat modum cognoſcendi & ex noto ignotum deducendi, hujusq; rei regulas præſcribat, patet profecto eam propter alias diſciplinas eſſe, & ita quidem, ut niſi ad earum acquiſitionem & actus conduceret nemo eam addiſceret, quæ eſt naturâ habitus inſtrumentalis.

15. *Dices* ſi Logica, eſt habitus inſtrumentalis quomodo poſſunt habitus inſtrumentales ab Ariſtotele hoc loco omnes contineri, cum Logica non verum dicat, ſed inſerviat tantum veritati. Verum non ſunt oppoſita *verum dicere & inſervire veritati*, ſed ſubordinata. Inſervit enim Logica reliquis diſciplinis in dubiâ, ignota, & obſcura veritate inquirendâ. Dicit autem verum, quatenus tradit præcepta & regulas, ſecundum quas efformandus eſt Syllogiſmus & aliæ notiones Logicæ, ad quas ſi congruunt iſta opera vera ea eſſe judicat, ſin minus tanquam falſa reprobat.

16. Verum igitur dicere poteſt dupliciter intelligi, 1. *ratione rerum vel objecti*, quaſi de veritate objecti circa quod verſatur artifex debeat eſſe ſollicitus. Et hoc non requiritur: Sutor enim v. g: circa corium verſatur, non tamen de illius veritate & natura per ſe diſquirit, ſed illud Phyſico relinquit: Ita & Logicus verſatur circa res Theologicas, Phyſicas, &c. Illarum tamen veritatem demonſtrare non poteſt, neq; tenetur, quamvis inſerviat, ut veritas interdum ignota illarum diſciplinarum poſſit notior fieri. 2. *ratione effectuum, inſtrumentorum vel propriorum præceptorum*, & ſic omnes artes uti & Logica dicunt verum. Quando enim ſutor v. g: introduxit in corium formam ſuam, tunc pronunciat hanc vel eſſe ſecundum artis præcepta factam & cum illis convenire, vel etiam ab eiſdem diſcrepare, quod itidem facit Logicus. Et hæc reſponſio videtur fundamentum habere in ipſo Ariſtotele. Ipſe enim l. c. non inter ſe opponit tradere verum & inſervire veritati, ſed dicere verum & mentiri. Jam quia Logica inſerviendo diſciplinis non mentitur, adhuc verum enunciat.

17. Horum habituum exempla etiam *ex lib. 2. Phyſ. text. 24. & lib. 1. Eth. c. 1.* poſſunt colligi, ubi Ariſtoteles docet non fines ſolum artium & habituum ſed ipſas quoq; artes atq; habitus invicem

ſubor-

ſubordinari, ut quidam præciſa omni utilitate, quâ ad productionem alterius cujusdam habitus conducunt, maneant expetendi; quidam vero ita faciant ad aſſequendos alios habitus, ut remotâ iſta utilitate nemo eos expetat, quos utrosq; exemplis poſitis illuſtrat. Poſteriorum enim habituum exemplum eſt Ars docens conficere frena, cum reliquis, quæ equeſtria conficiunt inſtrumenta. Priorum autem ipſa ars Equeſtris, quarum hæc ad militarem quidem conducit, ſed poſito non opus eſſe militari ſuos nihilominus reperiret uſus, utpote transferre hominem cum ſuis bonis etiam tempore pacis de loco in locum, illa autem à nullo hominum expeteretur, niſi ad equeſtrem conduceret. Quibus ſuppoſitis argumentamur; Quorum habituum quidam non ſunt expetibiles citra hoc, quod ad aliarum habituum adeptionem conducunt; Quidam vero licet conducant de ſe tamen adhuc expetibiles manent, illorum habituum quidam ſunt principales & quidam inſtramentales. In habitibus intellectualibus differentiam hanc deprehendere licet, ut probatum eſt. E. Eorum quidam rectè principales & quidam inſtrumentales conſtituuntur.

18. Zabarellæ opinionem quidem exoſculantur *Arniſæus in notis ad Logicam Crellii, Bartholinus in Janitoribus & mille alii hodie*, ſed invitâ veritate. Ita enim nos argumentamur primo: omnes artes primariò & explicitè continentur ſub quinq; ſpeciebus *lib. 6. Eth.* enumeratis. Ita enim omnes artes utpote ſpecies ibi ponuntur, quemadmodum etiam omnes ſcientiæ & omnes prudentiæ. Atqui quidam habitus inſtrumentales ſunt artes, E. quidam etiam habitus inſtrumentales primario & explicitè (eo modo quo Zabarella intelligit & quo aliæ etiam ſpecies occurrunt) ponuntur *lib. 6. Eth.* Minor ut evadat clarior ſciendum *ex Ariſt. 2. Phyſ. t. 24 & 1. Eth. t. 1.* duo eſſe genera artium: Unum τῶν ποιητικῶν præparantium aut elaborantium materiam; alterum τῶν χρωμένων elaborata materia ad ſuum commodum utentium, quæ ποιητικῶν ἀρχιτεκτονικαὶ ab *Ariſt. t. 25.* dicuntur. Jam quia non ſolum artes architectonicæ ſunt artes, ſed & ποιητικαὶ, ποιητικαῖς autem non raro competit hæc natura, ut non propter ſe, ſed propter architectonicas

acqui-

acquirantur, illis etiam ita subordinentur, & ad earum adeptionem dirigantur, quæ natura est habituum instrumentalium, *Zabarell. c. 11.* teste, nequaquam ex habituum consortio. *l. 6. Eth.* enumeratorum poterunt excludi. Sumamus enim frænefactoriam, (quod exemplum est ipsius Philosophi *1 Eth.*) quæ est habitus conficiendi fræna, expetibilis ita propter artem equestrem tanquam alium habitum, ad quem etiam ita dirigitur, ut nisi utilis esset ad artem equestrem prorsus non appeteretur; nemo scilicet amaret frænefactoriam nisi intuitu artis equestris, & si illam prius non amaret. Imo si repugnaret ars equestris, cui bono esse frænefactoria? Jam si quædam artes ποιητικαὶ sunt habitus instrumentales, quæro ex Zabar. an illæ artes *6. Eth.* fuerint expositæ an vero non? Negare non potest, quia ibi artem expositam concedit. E. affirmabit. Si hoc, E. quidam habitus instrumentales sub illis 5 fuerunt comprehensi E. ibi non tantum explicantur habitus principales, quod contra Zabarell.

19. Argumentamur secundo. Illi habitus *lib. 6. Eth.* explicitè & primariò considerantur, qui affirmando & negando verum enunciant teste Aristot. *lib. 6. Eth. c. 2. & 3. lib. 1. magn. Mor. c. 36. & lib. 5. Eudem. c. 3.* Atqui quidam habitus instrumentales affirmando vel negando verum enunciant, uti supra de Logica fuit probatum, de frænefactoria etiam liquet, quæ enunciat hæc fræna esse rectè elaborata, hæc vero non. E.

20. Neque iis, quæ modo dicta sunt refragantur exempla à Zabarella adducta. Nam primum desumtum ab eo, qui Romam proficiscitur, si est efficax, quæro quo ergo jure Aristoteles in Ethicis egerit de proclivitate ad virtutes, de semivirtutibus, deq; prudentiâ, item de calliditate, experientiâ, solertiâ, recto judicio & similibus? Ex mente sanè Zabarellæ erit respondendum, eum hæc omnia ineptè proponere, cum sint intermedia itineris ad virtutes. Respondeo ergo Zabarellæ, uti verum est, quod quærenti in quem scopum meum dirigam iter? si per intermedios terminos respondeam, stolidè respondeam, ita econtra quærenti per quas vias Romam vel cœteroqui ad meum scopum velim ire, multo stolidius

respon-

respondebo per terminum ad quem, ridicula enim nascetur petitio principii. Quæstiones ergo hæ sunt distinctæ, quærere, quo tendere velimus, & quærere, per quas civitates velimus tendere. Jam discipulus Ethices utrumq; quærit, sed utrumq; in locis diversis. In 1. siquidem Ethicorum de scopo suarum actionum quærit, quod si jam ibi agere de virtutibus vellemus, ineptè essemus facturi; sed à lib. 2. usq; ad 9. incipit disquirere, quibus viis directè ad scopum suum in 3. Eth præcognitũ possit pervenire, sic jam stolidè faceret, si tibi de fine multa traderet. In 6 deniq; pergit & disquisitis viis directis incipit investigare ea, quæ cum in animo reperiantur viam ipsi possunt reddere faciliorem ad virtutes: ubi iterum de scopo ipso, viisq; agere intempestivum est. Unde patet Ethices auditorem in 6 Ethic. non quærere, quo sibi sit tendendum, nec per quas vias sibi sit tendendum cum hoc omnia jamdudum præcognoverit, sed quærere, quænam hoc iter facilius reddere possint? Cui quęsito jam omninò, nisi ineptire vellem per intermedia est respondendum. Quin imò discipulus Ethices, cum non solum caput philosophiæ moralis sit, docente Apulejo, ut sciat quibus ad vitam beatam pervenire rationibus possit: sed & omnis cogntio modorum perveniendi ad virtutes supervacanea ipsi sit, nisi etiam talis efficiatur 2. Eth. c. 2. nunquam de scopo videtur quærere, sed eo præsupposito de intermediis ad scopum suum deducentibus esse sollicitus.

21. Neque alterum est firmioris conditionis à principe desumptum. Si enim in eo aliquis nervus est collocandus continuò stultus erit Aristot: agens de bonis fortunæ & corporis, ut comitibus S. B. de amicitia, voluptate, honore & similibus ut commitibus virtutis quod ipsum nec admittimus. Respondeo Zabarellæ debere distingui has quæstiones, quis huc venerit? & qnibus adminionlis hûc venerit? Uti enim ad primam sufficit responderi per eum, cujus causa venerunt reliqui, ita per eundem ad posterius velle respondere planè est ineptum. Quod jam attinet ad auditorem Ethices, ille priusquam ad lib. 6 adventavit, primum habet exploratum. Novit enim jam & quid debeat in animum suum introduci, & quibus mediis directis fieri & expediri hoc ipsum debeat. In libro 6 quærit ulterius, Quænam ulterius in animâ reperiantur, quæ istam introductionem concomitantur & promoveant? Jam.

 nisi

nisi meras vellem spirare ineptias non possem per ipsum venientem respondere, sed enumeranda jam illa sunt, quæ promovent hanc ipsam introductionem tum quæ sunt ipsi cognata quorum numero habitus intellectuales habentur & comprehenduntur, ut proindè Zabarellianis hisce exemplis nullum robur insit.

22. Scientiam ἕξιν ἀποδεικτικὴν *l. 6. Eth. c. 3.* Philosophus definit, quæ etiam habitus conclusionum dicitur, quatenus tamen conclusiones virtualiter considerantur, quæ principia vel præmissas virtute continent.

23. Habitus sunt scientiæ & quidem Intellectus qui subjectum ejus est per se, in voce enim libris per accidens sunt, uti rectè habet *Zabar. l. 1. Apol. c. 2.* Errant ergò Ramæi qui systemata præceptorum hîc laudant. Liber enim & præcepta non denominantur scientiâ prædita, quæ tamen aliàs conditio subjectorum propriè dictorum. Systematica etiam comprehensio in dormiente Logico, Mathematico, abest, accidens autem à suo subjecto naturaliter non abest.

24. In quo consistat natura demonstrationis in Posterioribus Analyticis latè demonstratur, in quibus exponendis hac vice tempus insumere non possumus. Ingenuè enim fatemur, utut quamplurimi hactenus fuerint qui diligentiâ commentariis suis posteriora Analytica illustrantur multa tamen magis ex præconceptis hypothesibus ibi adduci quàm ut Aristotelis mens penitùs explicetur, autumo. Verum cùm integro tractatu nostra sententia vix possit absolvi, malumus hac vice nihil dixisse quàm materiam hanc nobilem primis labris attingere tantùm, neq; tamen perficere.

25. Intellectus est primorum principiorum id est propositionum ex universalissimis terminis constantium, quæ ex terminorum cognitione statui vel vera vel falsa cognoscuntur, suntq; principia collectionum. Horum principiorum primum exhibitur *l. 4. Met.* ab Aristotele, estq; hoc: Impossibile est idem simul esse & non esse, quo prius dari credidit *Antonius Andreas* qui voluit potius hoc primũ Ens est Ens, Verum primam propositionẽ dicimus, non autem primum principium. Est enim propositio identica ad docendum vel convincendum inepta. Nostrum autem propriè dictum est principium, omnes enim, uti habet *Arist: c. 3. sub fin.*

qui

qui demonstrant ad hoc omnia revocant. Unde *Averroës Comm.9.* *Hæc dignitas,* inquit, *est prior omnibus dignitatibus, & communis naturaliter omnibus. Impoßibile enim est ut fiat Disputatio vel ratiocinatio sine ea.*

26. *Chrysost. Javellus l. 4. Met. q.9.* existimat hæc principia Quodlibet est vel non est: vel Necesse est idem affirmari vel negari de eodem, vel Impossibile est duas contradictorias esse simul veras vel falsas, eadem esse cum illo, Impossibile est, idem simul esse & non esse, cum quo sentit etiam *Petrus Hurtadus Mendoza.* Rectiùs tamen *Franciscus Suaretz* id negat, uti alibi ostendendum erit.

27. Sapientia & principia & conclusiones complectitur, unde dicitur habitus ex Scientia & Intellectu constans, *l.6.Eth. c.5.* vel scientia cum capite, unde eo ipso intelligitur ejus indoles, quo Intellectum & scientiam exposuimus. Hujus conditiones *lib. 1. Met. c. 2.* enumerat A. 1. quod sciat omnia in universali sc. 2. difficilima & à sensibus remotiora, 3. accuratissimo modo. 4. cum aptitudine ad docendum. 5. sit ἀρχιτεκτονικὴ omnium disciplinarum, & 6. disciplinas reliquas dirigat.

28. Ex quibus 1. colligitur malè vulgò sentire authores qui existimant ita specie distingui prædictos habitus, ut etiam specie distinctas disciplinas efficiant. Rectiùs sentit Gabriel Vatzquetz qui specie distingui negat.

29. 2 Falsissimum esse quod communiter etiam dicitur, imprimis à Jacobo Martini, Bartholino, Prætorio, Scharffio & mille aliis defenditur quasi Sapientia sit genus Metaphysicæ ideò quod proprietates Sapientiæ Metaphysicæ competant. Infirmum scilicet argumentum quod nullo negocio solvitur. Nam bipedis etiam conditiones risibilis, rationalis, homini competunt, quæ tamen genera velle dicere ridiculum est. Aliud ergò dici de aliquo, aliud prædicari de pluribus specie differentibus in quid. Prius largimur, posterius verò negamus. Impossibile enim est ut alia scientia omnia in Universali sciat quæ prima est cōditio sapientis *l.1.Met.c.2.*

30. Ita ergò argumentamur: Quicquid non aptum est ut de pluribus prædicatur, illud nunquam potest esse genus. Atqui sapientia non apta est ut de pluribus prædicetur. E. Min probamus. Si implicat

plicat dari duas disciplinas quæ omnia sciunt, implicat etiam dari duas sapientias. Hæc enim prima est conditio, quæ à sapientia abesse nequit. Prius est Ergò & posterius. Assumptum probatur exinde quod omnia scire intelligatur ratione Universalissimorū terminorum. Jam implicat dari alios terminos universalissimos præter illos qui expositi sunt in Metaphysicis.

31. Concedimus ergò Genus in una specie conservari posse sed ut non implicat dari aliam. Neq; analog a aliquid efficit. Hæc enim non potest ex sapientia facere non sapientiam & ut non omnia sciat, quamvis etiam falsum sit quod analogia in ratione conceptus communis hic posset saltem fingi, nedum dari.

32. Omnium minimè id urget quod plures definitiones unius rei darentur. Hoc enim absurdum esse in diversis definiendi generibus quis negaret? Nam ut nihil dicam de descriptionibus, nostra cum Mendoza sententia & duas posse dari essentiales definitiones unius rei, v. g. hominis quod sit animal rationale & quod sit compositum ex anima rationali & corpore organico constans. Diversi scil: definiendi sunt modi, alter Metaphysicus, alter verò Physicus.

33. *Ars* est habitus cum recta ratione effectivus v.g Frænefactoria, ars pugilaris, saltandi. Malè enim *Bartholin. in Jan. Log.* hos corporis habitus ex censu artium rejecit. corporis enim habitus dicuntur non quod in corpore principaliter subjectentur & primò, sed quod ultimò ibi terminentur, non aliter ac Logicæ notiones subjiciuntur actui recto & terminantur in actu reflexo, qui actū rectum sua reflexione ita præparat, non aliter ac materiam externam artifex mechanicus. Logica itaq; ab artibus non excluditur. Efficit enim suas notiones secundas, quæ ab Intellectu effectivè producuntur & subjectivè eidem inhærent, inq; rebus ipsis tanquam materia præjacente fabricantur ad instar omnium reliquarum formarum artificialium.

34. *Prudentia* est habitus cum recta ratione activus. De hac agere pluribus jam prohibemur, ut & de aliis. Sit ergò & hujus & aliarum Exercitationum Politicarum

FINIS.